Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1743 20 aprilis.

Boryszowski Antonii: Primae laureae amoeno vere in coronamentum eruditae virtuti VI. vv. dd. Candidatorum reflorescens.

Poezya 2900.

PRIMÆ LAUREÆ
AMÆNO VERE,
In Coronamentum
Eruditæ Virtuti
VI. VV. DD. Candidatorum,
REFLORESCENTES.
Ac dum;
PER
Illustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,
D. M. LAURENTIUM SAŁTSZEWICZ,
Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Actualem Cursûs Vladislaviani PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ DIVÆ ANNÆ CANONICUM, & interea Facultatis Philosophicæ DECANUM.
Spectante Nobilissima Illustrium Hospitum Corona,
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei,
Ritu Solenni,
PRONUNTIARENTUR;
Fraterni Applausûs ergó
AB
ANTONIO BORYSZOWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato
Metris plectrisq; Poëticis
CELEBRATÆ.

CRACOVIÆ Typis Collegij Majoris Universitatis.
Annô Domini 1743tio Die 20. Aprilis.

In Stemma
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
ŁUBIENIANÆ



Trāſfixū cernis mediū CAPUT enſe Biſontis,
Vulnere ſub tanto, docta Minerva latet.
Hoc CAPUT arcanîs locuples, oracula pādit,
Hoc Tituli, hoc faſces, Infula, Mythra petunt.
Iſta, dum noſtræ laurus ſub frônte locantur
Auſpiciô creſcent, amplius inde bono.

ILLUSTRI
&
MAGNIFICO DOMINO,
D. SIGISMUNDO
à Łubna
ŁUBIENSKI,
CASTELLANIDÆ
SANDOMIRIENSI, JADOVNICENSI
CAPITANEO,
Exercituum S. R. Majeſtatis
COLONELLO.
Domino Domino ac Mecænati Ampliſſimo.

PRimæ Philoſophicæ Laureæ, poſt exactum rigidi examinis certamen, recenter nobis collatæ, Illuſtriſsima Magni & Glorioſiſsimi Nominis Tui protegi umbrâ, ac Gentilitio Capiti, in profundiſsimæ à Jagellonica Pallade venerationis tropheum offerri, & ceſsiſſe gaudent. ILLUSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE. Quidni verò eruditorum hæc inſignia & præ-

mia certaminum, sub triumphali Nomine, quod millenis gloriosissimum decoribus, victorijs & triumphis celeberrimum Polonus in Capitolio suorum Heroum à prima fronte pridem inscripsit Mavors, inscriptum colit & veneratur, sub ŁUBIENIANO inquam Nomine insigniora eminere gaudeant? & plausum populi mereri. Quidni contextæ doctarum manibus Musarum laureæ, capitibus in ornamentũ nostris collatæ, Gentilitio Capiti Tuo, Capiti nempe huic, quod licèt Iovis non sit, non unã tamen Orbi ad consilia, ad præsidium pe[p]erit Minervam Polono, quod supremas de bono publico cogitationes, sensusq; millenis coronandos lauris recondit ac complectitur, reverentiales gestiant inflecti & cedere in adoreas. Si Palladianæ Laureæ ad Capitum decoramenta destinantur, ipsis maximum decus ab hoc accedit Capite, à quo Mitræ, à quo Infulæ, à quo Galeæ ornabantur & ornantur. Si Philosophicæ laurus eruditi sunt germina Phœbi, cui condigniùs Nomini dicari & consecrari? quàm Tuo Illustrissimo; quos honorificentiùs cingere Postes? quibus glorosiùs appendi poterãt? quàm Augustis ŁUBIENIANÆ DOMUS penetralibus, quæ congestis millenorum decorum splendoribus, Solis Regiam, non æmulatur, sed transcendit. Illam Principis luminum inquilinam fuisse Ædem, puro fusorum auro parietum nitore, multoq; igneas imitante flammas splendidam pyropo, ob cõtinuum forsan exorientis So-

lis aspectum fabulosi somniaverunt Poëtæ. Vero verius, quòd super gemmeos DOMUS Tuæ gratiosissime MECÆNAS Penates, non satis habent Celsissimi honorum oriri Soles, sed perpetuò in illis meridie refulgent. Augustal quoddam dignitarij ejusq; perennis splendoris; atria supremis inscripta titulis, parietes primis fascibus & insignijs nitentes, tholum & fastigium ex sellis & Curulibus conflatum, Mitris, Tyaris, bellicisq; tectum cassidibus exhibens, in Illustrissima Tua DOMO excelsus, illeq; inquilinus exstruxit sibi honor, ut solus tam splendida, tam augusta ab Æde, splendidior videretur, augustior promineret. Ex hac DOMO quotquot prodeunt & prodiêre Viri, omnes lucis Filij sunt & fuerunt, omnes Patriæ Columina, Purpurata Senatûs decora, Illustrissima Magni Nominis ornamenta. Ex nido hoc, ex quo Nobilissima Aquilæ Polonæ prodijsti Soboles, nil aliud unquam evolavit & evolat, nisi Summorum Virorum, Procerum, & Semideorum Heroum Phœnices. Multa sæcula & millenas retro non revoco ætates, ut Nominis Tui splendorem in Divis Aboriginibus, ceu Solem omnigenæ lucis Parentem in suis incunabulis adorem. Cœlo recepti, Cœlo coronati Majores Tui, ad quorum Ideam & Archetypum, Orbis Poloni delicium formatus es, sæculo nostro non totos se subtraxerunt. Videmus eorum ge-

 sta,

3e

1221.

ſta, miramur factâ, Magiſtratus & Honores ſcimus, ſuperſtitem intuemur gloriam; famam adusq; vocaliſſimam audimus. Stant Lechici in Capitolio Martis victricibûs innixi trophæis, tot ex ŁUBIENIIS Æmilij, Marcelli, & Scipiones. Perennant in Purpurata Patrum Curia, tot Senatûs oracula, tot Conſi, tot Fabij, tot Apollines ŁUBIENII. Mereri priûs de Patria, implere Curules, ornare honores, Togam illuſtrare & Sagum, antequam ŁUBIENII vocari cœperunt. Quidquid de CHEBDIIS & NIEWIESSIIS faſti & annales referunt, quidquid illis magnitudinis, quidquid excellentiæ, quidquid ſplendoris tribuunt, id totum ŁUBIENIORUM eſt. Geminata in BOSUTA & VLOTIBORIO Archiepiſcopis Gneſnenſibus Primatialis eminentiæ faſtigia, prima ŁUBIENIANÆ Dignitatis culmina fuerunt; ſi prima tam ſublimia? tam excelſa, tam ſumma, ſequentes creſcentibûs meritis accreſcentes honores, quis menſurabit? CHEBDII, NIEWIESII, à Nicolao Nepote NICOLAI de NIEWIESZ CHEBDA, Palatini & Capitanei Siradienſis, utraq; ŁUBNA in Siradienſi Territorio coëmptâ, in Comites à Łubna ŁUBIENIOS deſierunt. Mutato Nomine priſcâ virtutem, animi magnitudinem, & ingenitum ad immortalia opera ardorem, ex eo immutaſſe viſi Heroum Nobiliſſimi, quòd accumulatis gradibûs, merita in Patriam magna, in majora; eminentes heroicas virtutes, in

emi-

eminentiſſimas, altos honores in ſummos honorũ Apices, dum ŁUBIENII dici cœperunt, commutârunt. Allectæ Illuſtrißimi novitate Nominis dignitates, Purpuræ & faſces, agmine facto ad ŁUBIENIOS contenderunt, utq; omnis Excellentißimo Nomini pateret bonor, Regni claves ANDREÆ Comiti *à ŁUBNA ŁUBIENSCIO ſe obtulerunt. Supremus Regni* Theſaurarius *renuntiatus ŁUBIENIUS, ſummas in id cogitationes conjecit, ut Regni augeret fortunã, dilataret Theſaurum, ærarium cumularet. Auxit opes Theſauri, vigilantiâ ſummâ; accumulavit ærariũ Adminiſtratione prudentißima, Patriæ fortunã gemmeis conſiliis ditavit. Fidelißimus Theſauri Cuſtos, Virorum & bellatorum gemma millenis aſſervanda Theſauris, qui Patriæ ſalutem, propriæ impendiô, ut redemiſſet vitæ; expedito à CASIMIRO III. ad Choyniciam contra Crucigeros prælio dexterrimè pugnando, glorioſißimam in acie ſubijt mortem. Auxit Nominis ſplendorem SVENTOSLAUS ŁUBIENSKI, ſummis Domûs ſuæ decoribûs, novos accumulavit decores, BARBARA de Zapolice PSTROKONSKA, Illuſtrißimi olim Matthiæ PSTROKONSKI, Cujavien: Epiſcopi, Præſulis ſupra ſæculorum memoriam provecti, Conſobrina Sorore, in vitæ & Thori ſociã ducta. MARCUM de Łubna ŁUBIENSKI,* Palatinũ Breſtenſẽ *Senatoria ornavit Purpura, dicere debueram; Purpuram Senatoriam, tot gemmis, quot conſilijs or-*

 navit

1223

navit Palatinus. Quantus in militari Sago fuerat Heros HIERONIMUS ŁUBIENSKI? res Sigismundi III. & Vladislai IV. totq; eorum victoriæ, quarum ille socius & pars non parva fuit, loquuntur. Sorti suæ imputavit suprema & solo Regum fastigiô minor Primatiali Dignitas, quòd summis in Patriam & Ecclesiam meritis Celsissimi olim Principis Matthiæ à Lubna ŁUBIENSKI, Archiepiscopi Gnesnen: prona se submiserit, cujus virtutibûs, authoritate, animi excellentiâ, in solium quoddā & Majestatem transformata videbatur. Vivit post fata Superstes Illustr: Stanislaus à Łubna ŁUBIENSKI, Episcopus Plocensis, Procancellarius Regni, Tynecensis Abbas, qui eruditô suô calamô, altæ oblivioni insepultas, tot Plocensium Episcoporum animavit vitas, & triumphalia Sigismundi III gesta, seram apud posteritatem perennare fecit. Parem quibusvis Tyaris animum, Caputq; Præsuleis Infulis dignum, Alberti ŁUBIENSKI, Gnesnensis, Cracoviæ: Canonici, non una expectabat vitta, ni illud Cœlum ipsum, sideribus suis festinanter coronâsset. Supra omne honoris fastigium, ingentibûs meritis & virtutibus succollatus assurrexerat Illustr: Joannes à Łubna ŁUBIENSKI, Tuus Mecænas Amplissime PROAVUS, quô in armorum gloria, in consiliorum prudentia, in dexteritate heroica, major surrexerat nemo. Non potest brevi arctâripagellâ, quod immortalibûs Cedris perennis fama, magnū Sigismun-

di ŁU-

di ŁUBIENII Siradiensis Vexilliferi, AVI Tui innarravit Nomen. Sub Ejus signa ultrò ipsæ veniebant victoriæ. Summus Heros cum immortalis gloriæ Duce CZARNECCIO, Dacicos Scythicos, Ottomanicos, acsi excussum Jovis dexterâ fulmen terrebat & dissipabat exercitus. Prussiam Livoniam, Curlandiam, Pomeraniam, æternis hæoicæ dexteritatis monumentis replevit. Non sufficiebat illi magnanimum pectus hostili objicere ferrô, vitamq; pro Patria in millenas profundere mortes, nisi quoq; integram proprijs stipendijs legionem, ad Patriæ defensionem aluißet. Gemmas totô Oceanô vellem colligere omnes, ex quibus concinnari poßet, exemplar & Imago, fato jam suo defuncti, sed in hominum memoria, in Senatûs Poloni amoribus, in Te demum Gratiosißime Mecænas viventis, Illustrißimi & Excellentißimi Domini BOGUSLAI à Łubna ŁUBIENSKI, Sandomiriensis Castellani, Exercituum Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ Polonæ Generalis, Oycoviensis, Jadovnicensis Capitanei, PARENTIS Tui æstimatißimi. Habuit in hoc Senatore & venerabatur Polonus Orbis Catonem judiciô gravem, Nestorem eloquiô potentem, Fabium in consilijs felicem. Habuit in eo Lechicus Mavors dexteram manum, quâ hostes profligabat, habuit Polona militia Martem, quô spirabat, Marcellū, quô Duce in adversas animosa rubeat acies, dimicabat dextrè faciliter & feliciter vincebat.

1225.

Quid de PATRUIS Tuis ſcribendum? imò quid non ſcribendum? Celſiſsimus olim Princeps CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI, Cracovienſis Epiſcopus, Dux *Severiæ, Præſulum gemma, Pontificum Phœnix, Paſtorum norma & exemplar, Regum delicium, populi amor, eruditorum Mecænas, Patriæ ſuæ amantiſsimus fuerat Senator. Si nullus illum calamus ſcriberet, ſi nulla memoraret lingva, ipſæ opes in inopes effuſæ, Nummi in Numinis ornamenta erogati, ſumptuoſæ Eccleſiarum turres, ſplendidum S. STANISLAI Mauſoleum, ſacrorum poſtium marmora, & grandis Altarium argentea ſuppellex, ŁUBIENIUM Pontificem Optimum, liberaliſsimum, munificentiſsimum loquerentur. Excellentiſsimis animi ornamentis, ſummâ rerum experientiâ & politiſsimo ſapientis ingenij cultu, Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Dominus ANDREAS à Łubna ŁUBIENSKI, Cracovienſis Scholaſticus, Gneſnenſis Canonicus, Præpoſitus Infulatus Łaſcenſis. Regium ſibi cor & affectum devincit, anhelantibûs Tyarîs, eruditos illius labores, & ingentia in Eccleſiam DEI merita, quantociùs coronare. Tantus Tibi Paterni generis ſplendor, quô non major ex ipſius cubilibus diffunditur Phœbi. Illam honorariæ lucis claritudinem, illam titulorum, illam celſitudinis lucem, quam cumprimo lacte, ex Illuſtriſſima de BIELENSCIIS Matre hauſiſti, quas ſequi vellet, Solis curſus? emetiri niteretur. Quid eſt innuere*

nuere

nuere BIELINSCIOS? nisi primos in Toga Senatores in Sago Duces, in Ecclesia DEI Præsules, Supremos in Regno Ministros, alios Scipionibus innixos, alios clavis insignes, alios claves, alios sigilla gerentes, multos Pontificijs Trabeis, omnes Senatorijs Purpuris fulgentes, totumq́ in uno hoc Nomine conclusum ab antiquo referre Senatum. Purpurata, Illustrissima, summaq́ BIELINSCIORUM decora, Tibi hæreditaria sunt, quia Materna. Illa quoq́ gloria, quâ Illustrissimi Tui inclarescunt Fratres, sic à Te separari non potest, ut unus ab alio radius Solis. Illustris D. CASIMIRUS ŁUBIENSKI, Oycoviensis Capitaneus, illâ, quâ suos refert Aborigenes specie Imperiũ meretur, Cui dum millena virtus suffragia addit, magnos de se facit colluctari honores. Perillustris & Reverendissimus Dominus JOSEPHUS ŁUBIENSKI, Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Vavellanas ut gemma condecorat Coronas, ab omnibus ut gemma æstimatur, Illustrissima olim MARIANNA augustos ZAMOYSCIANÆ Domûs festivô Hymæneô decoraverat Penates. Altera ISABELLA lectissima Orbis Poloni Charis, Serenissimæ Poloniarũ REGINÆ, in summa æstimatione affectu, & delicijs fovetur. Orbis totus Polonus, in unam paginam redigendus esset, si Duces VISNIOVIECCII, Princeps LUBOMIRSCII, KONIECPOLII, OPACCII, ZAMOYSCII, JORDANOVII, MĄCZYNSCII, & millena alia co-

1227.

gnata Tibi, deberent recenseri Nomina. Multis celsissima Lucina accumulavit Te decoribus, multis benignior natura, virtus plurimis. Multum est ad gloriam, quòd sis natus LUBIENIUS, plus quod vivas, ut LUBIENIUS decet. In facijs formabaris ad fasces, cunæ Tuæ, Cathedra quadam erant, in quibus juxta Magnorum Aborigenum exempla, ad quævis maxima erudiebaris Infans. Cum lacte Heroicos hausisti spiritus, Infantiles oculos pro puerilibus crepundijs, in Magnanimos AVORUM & ATAVORUM vultus, in plena Paternis atria trophæis defigebas. Florem teneræ ætatis ut utriusq; auræ injurijs assvesceret, inter eruditi Phœbi calores, & Parnassias exercuisti nives. Quanta Tyronum felicitas? quanta Magistrorum voluptas? quibus Tu obtigeras Achilles. Quâ manu, mens Tua generosissima exercebatur in literis, ea freno opus habuit, non calcaribus. Nulla difficultate Efferorum tarditas inertesq; animi, suos afficiebant Isocrates, cùm tardissimæ quoq; testudines, solo celerrimi ingenij Tui exemplo, ad serios in studio concitarentur progressus. Si Te aliquis inter conferta Polonæ Juventutis agmina videns, LUBIENIUM vocari nunquam audivisset, ex illo igneo docillimæ mentis vigore, ex illo annis velociore suis ingenio, ex vultu mille gratijs conspicuo, & virilem gravitatem spirante ex ornatissima demum præcellentibus qualitatibus indole, qua Domo, quibus Parentibus, quàm Illustri esses origine natus collegisset. Post navatam Musis & Palladi operam, ad bellicas Te contulisti artes, Militares Regulas sub Saxonico Invictissimi Regis nostri Marte perdiscere elegisti. In illa Regalis Gradivi Palæstra, dum Tyronem ageres, veteranus videbaris. Primordia Tuæ in bellicis artibus institutionis, qui Capite sub galea incanuerunt toto, mirabantur. In armorum usu, tam faciliter, tam celeriter, tam feliciter profecisti, acsi ad res Bellonæ ab ipsa natura formatus & institutus esses. Portas jam victricia Serenissimi Nostri AUGUSTI signa, pro cujus gloria & victoriosissimo Nomine dum militas, de Te summæ Dignitates, summi decertât honores. Admitte ergo Mecænas Gratiosissime, inter Martiales galeas & cassides, interq; Gradivi Corymbos, Jagelonicæ Palladis, quæ Tuo semper militat Nomini, laureata trophæa. Admitte primas nostras Laureas, sub gratiosæ protectionis umbram, & ex meo ad CANTIANAS appenso Aras Anathemate, primus in Republica Polona honoribus ornatus, Illustrissimæ Domus decori, Patriæ fulcro & Columini longævus & fortunatissimus vivas. Ita precatur

Illustris ac Magnificæ Dominationis Vestræ

humillimus cliens

Author Operis.

DIVINISSIMO
PATRIARCHÆ NOSTRO, 1228

B. JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ DOCTORI, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ

PATRONO PRINCIPALI.

Academicarum Laurearum

PROTECTORI,

Ode Votiva,

cum Epigraphe;

Tu decus omne tuis.

ORbe Stellato reſidens Patrone,
Inclyti quondam venerande Civis,
Aſt modò Regni Columen Poloni,
Præſidiumq;.
Gemma Doctorum nimiúm venuſta,
Totus & ſplendor Jagelonis Aulæ,
Palladis noſtræ decus & Corona,
Dive JOANNES.
Si forent nulli, tituli togatæ,
Si foret nullus decor eruditæ
Amplius Gentis; ſatis unus illi,
O Pater eſſes.

7e

Te Polus circum, radios rotâſſe
Gaudet, & flammas rutilamq; lucem,
Per genas, & per renitere doctam
Sidera frontem.
Te pijs omnes precibus ſalutant,
Pingit ars vultus, nitidiſq; ſacros
Ponit in gemmis, ſtruit ex coruſco
Dona metallo.
Templa Te feſtis venerantur arîs,
Monſtrat & terſus paries benignam
Æde ſacrata faciem, Lareſq;
Marmore ſculpti.
Sis licet natus Lechico ſub axe,
Vandalus Balthym vehit, atq; Balthys,
Narrat extremis tua facta terris,
Æquoribusq;
Sole Te, palmas Academi opacus
Germinat lucus; reviretq; multa,
Frontibus pulchrum pretium datura,
Laurea noſtris.
Hinc Tuas, noſtrum decus & Patrone
Gratias, prompto profitemur ore,
Corda cum donis, ferimus Beato
Fuſa ſepulchro.
Tu DEO ſuplex, ſuper eruditas,
Palladis mentes, nova funde Cœlô
Dona virtutum, benedicq; noſtris
Dive Coronis.

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis 1230.

DD. EXAMINATORIBVS.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. LAVRENTIO SAŁTSZEWICZ,

Philosohiæ Doctori Ejusdemq; Actuali Cursûs Vladislaviani Professori, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ Divæ ANNÆ Canonico, & interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. ANTONIO KRZĄNOWSKI.

Philosophiæ Doctori, Ejusdemq; Regio & Tyliciano Eloquentiæ Professori, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Scholastico, Geometræ Iurato

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. MICHAELI CZYRNICKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Ecclesiæ Parochialis in POBIEDR Curato:

In vim debitæ gratitudinis,

Laurus totidem Coronas, quot ramusculos proferens,

cum Epigraphe;

Plures parit illa coronas.

DOctos Camænæ, nunc referam Viros,
Favete linguîs, Mæonios date
Cantusq; lymphas & calentes
Pandite Pieriosq; Fontes.
Sacrata Vatum pectora, lauriger
Apollo festis plausibus entheet,

 Pulset

Pulset chelym plectrîs eburnam,
Ut resonet lyra tacta Nomen
Trium Virorum. Mæonium fave
Melos, stat ingens ordo, laboribus
Factisq; nexus, quem perampla
Hic juvat accumulare laude.
Quæ trina, major sed numero cohors
Affulget, illam purpureæ simul,
Et flammæ adornant, & corymbus,
Laurigerâ decorat coronâ.
Primò SAŁTSZEWICZ fatidica chely
Adest canendus, murice splendido,
Cinctus DECANUS, laureati
Totus amor, pretiumq; cætûs.
Hunc si loquentem docta Peripatus,
Arcana sensu sat facili sua
Audit, resolventemq; cernit,
Ingenium celebrat beatum.
Hic & corusco sæpe Polo vacat,
Narratq; terris, quid sit in æthere,
Num fata? num casus secundos?
Astra quibus meditantur oris.
Si plura mentis non numero bona,
Ad exprimendum dicere sufficit,
Quod Tullio hoc, quod Vate, nec non
Philosopho Stoa nostra gaudet.
Permulta fundat carmina barbitus,
Necdumq; totas, perficiet Tuas,
Laudes peramplas ô KRZANOWSKI,
Encomijs celebrande mille.
Ubiq; Sacra magnus ab exedra
Orator, altô concitus entheô,
Es dignus audiri Ducumq;
Auribus, & populi catervæ.
Quot verba fudis, tot radios styli,
Gemmasq; promis. Volvere pondera

Sermonis alti, ſvavis, omne
Eloquium gravitate ſumma
Ornare nôſti. Nunc Cracij ſtupent,
Tuî os Penates, Poſna, ſed intimis
Condit medullis, quæ dediſti,
Melliflux documenta ſvadæ.
Concernit & Te debita portio
Laudis, refertum tot meritîs Virum,
CZYRNICKI, doctæ quem Camenæ
Innumeris cumulâre donis.
Patent apertè, plurima munera,
Laboris in Te; lux Academicis
Fulges in umbris, rectô, honeſtô,
Et ſolida probitate clarus.
Multa elegantis munera gratiæ
In Te relucent, & quibus omnium
Cor ſtringis, affectusq; vincis,
Dotibus es cumulatus amplis.
Sed quæ per omnes inclyte Ternio
Sic penna currat? ſic calamus volet?
Gradus, ut poſſit explicare,
Cuncta Tuæ monimenta laudis.
Defeſſa prorsùs barbitus en ſilet,
Jam conticeſcit laſſa ſono chelys,
Qua fronde lauri? quâ Corymbi,
Cingitis exiguos labores.
Hæc prona Veſtras reddit adoreas,
Flectit cacumen, conſerit herbidos,
Flores & inſcriptos decores,
Nominibûs titulisq; veſtris.

PRIMÆ LAUREÆ.

Amæno Vere,

IN CORONAMENTUM

Eruditæ virtuti

REFLORESCENTES.

V.D. JOSEPHO STEPHANO NIKLEWICZ.

Laurus Alexandrina, tryumphaturum in omni studio ingenium, prævio labore spondens. cum Lem: In utrumq; paratus.

SVccendit omnes gloria fervido,
Æstu, sed illam frigida mens sinat
Tentare, nam sublimibus stat
Septa vijs, per acerba tortis.
Invitat omnes, tendere singulos
Permittit; ast non omnibus ad manum
Venit, tantùm coronat fortes,
Per cava per salebrosa nisos.
Et hæc, Tuum, quæ condecorat caput,
Quam fronte præfers, laurea non Tibi,
Contingit ignaro laboris,
Nec facili venit ipsa jugo.
Sudore fusô non modico, decus,
Capessis istud, multa sed ardua
Tulisti NIKLEWICZ, dexterâ;
Difficiles meditaris ausus.
Ergo Triumpha Palladis Ægide,
Dextraq; vincas mente perarduum
Laboris callem, & altos certè,
Laurigeros referes honores.

V.D.

V.D. BALTHASARI ANTONIO CHYLINSKI, 1234

Laurus Cypria Musis & gratijs dilectum pectus, ingenijq; aciem indicans cum Lem: Vultus animi index.

QVis neget vultum, faciemq; posse,
Quanta mens intus lateat, referre?
Cùm Leo Sylvæ Nemeæ tremendus,
Noscitur ungue.
Ales ex unco Jovis administra,
Et Mimas arcu jaculator audax,
Fertur ex solo digito Gigantis
Robur habere.
Læta sic in Te facies CHYLINSKI,
Corporis vernans vigor, & venusta
Frons, satis pulchros animi decores
Indicat esse.
Lauream portes Cypriæ Coronæ,
Qui probi cultus animi remonstras,
Moribûs comptus, vegetusq; velox
Ingeniô sat.

V. D. ANTONIO RAYSZEL Crac:

Laurus taxa Topiarij generis, crescente in medio, foliô parvulô Symbolo modestiæ, cum Lem: Semper Sapiens modestiâ vincit.

VErum quòd Sapiens, esse minor Iove
Vno, terricolis altior omnibus
Fertur; nam superùm quæ sapientia
Est dulcis Soboles, hæc sua germina
Effert, ac homines evehit ad DEOS.
Ast quid laude magis, dignius est eô?
Quàm si vir Sapiens, sidera vertice
Docto non feriat, nec caput efferat
In flatum nimiè. Nam Sapientia,
Sublimes animos, non tumidos creat.

10 e

Hæc RAYSZEL placitum Te Sapientiæ
1235, Reddit dos; humilis, quòd fieri studes,
Submissosq; geris pectore Spiritus,
Quamvis mens, animus, nobilis est Tibi.
Ergo taxa Tuis laurea ponitur
Doctis temporibus, quâ vigeas diu.

V. D. BLASIO BYKOWSKI,

Laurus triumphalis, Palladÿs pugnis, & nobilibus triumphis parem animum promittens. cum Lem: Virtute Duce, comite doctrina.

PRælia non solus gerit & certamina Mavors,
Non solus Mavors, laurea serta refert.
Sunt Martis pugnæ, sunt pugnæ sæpiùs artis,
Artis tum Martis, parq; triumphus erit.
Non Martis ferrô sed forti palladis hasta,
Pugnas BYKOWSKI, Palladis Io Canis.
Robore tu solido præstas, & acumine mentis,
Hæc acies semper, plus valet atq; facit.
Ardua si quæ sunt, semper, ratione potenti,
Vincis, & ingenio, victor es ipse Tuo.
Sic vinces ultra, doctos numerando triumphos,
Dum Tibi virtus Dux, ars comes intimus est.

V. D. ALBERTO CHURCHOCKI.

Laurus Spadonia, opacitatis patientissima, nobile ingenium umbris perfici & clarius reddi persvádens. cum Lem: Gratior ab umbris.

CLara per obscuras, rutilentne lumina noctes?
Et lux num quando medijs fundatur ab umbris?
Cujus si dubios quatit sententia sensus?
Esse sciat certum, tenebris quòd lux genuina,
Et crassæ pariant illustria lumina noctes.
Hoc probat, ast meliùs CHVRCHOCKI mens tua docta,
Cùi animi rutilus crassis nitor extat ab umbris.

Nam

Nam Tu nocte diu varios relegendo libellos,
Intenso studio versando volumina multa,
Adq; Cleantheam desudans lampada serus,
Colligis hinc radios animi, per opaca nitentes.
Ergo spadoniam fer laurum, Symbola doctæ
Mentis, & ingenij summo conamine culti,
Vmbris proficias, ex umbris clarior extes.

V. D. ANTONIO ISIDORO BORYSZOWSKI
Primæ Laureæ Candidato.
Authori Operis.
JOSEPHUS STEPHANUS NIKLEWICZ
Ejusdem Laureæ Candidatus,
In vim mutui applausûs & affectûs,
OFFERT.

Laurum Delphicam, victorum Coronam, Apolini dicatam, dexterrimi ingenij, omnium laudum & studiorum Symbolam cùm Inscriptione.

Affectant Alij, quidquid fingiq; laborant,
Hoc donat natura tibi.

APollo voces, reddat amabiles,
Totusq; metris Pieridum chorus,
Applaudat, & neruis & aptô
Ore juvet geminare cantus,
Ut Te sonoris, & Citharis canat
Laus; & refuso murmure præferat,
Telsama BORYSZOWSKI, vasto
Orbe Tuas positura laudes.

C Hoc

1237 Hoc scripta nostris metra laboribus,
Hoc aucta culto carmine laurea,
Hoc pulcha Phœbeæ requirunt,
Symbola consociata laudi.
Ergo laboris Nobile præmium,
Mentisq; gratæ suscipe tesseram,
Laurum capessas, quam Minerva
Ingenio tribuit decoro.

Est hæc potenti Pieridum Duci,
Sacrata laurus, quæ Tua tempora
Cingit perennanti labore,
Et meritis redimita magnis.
Certamen Almæ Palladis arduum,
Sat mente dextra, sat docili potens
Svadâ, tulisti sat disertus,
Carmine, tum ratione præstans.
Ornata multis dotibus inclytis,
Mens, supra honores Te Tua provehat,
Laurum refers primam modo, sed
Ultrò Tibi veniat secunda.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.